

bedürftige, dass Ihr von diesen als wahre geistige Mütter betrachtet werdet. Ich weiss es auch, dass Ihr dem Caritasverbande dankbar seid für jede Gelegenheit zu Fortbildung in Kursen und Konferenzen, um stets den Anforderungen der Neuzeit ganz und voll zu entsprechen. Wir alle wissen auch, dass Euer Kurator und Ihr selbst über die Grenzen der Anstalt hinausblickt in die Zukunft der Zöglinge, um sie zu schulen für den künftigen Beruf.

So soll es und so wird es bleiben. Darum dürfen wir auch vertrauensvoll hoffen, dass auch in Zukunft die *staatlichen und provinziellen Behörden Euch fördernde Hilfe zuteil* werden lassen, und dass vor allem der Segen des Himmels Euch nicht fehlen wird, den am Altare zu erflehen der Oberhirt heute hierher gekommen ist.

Und Ihr, liebe *Kinder und Zöglinge*, habt auch fernerhin Vertrauen und freudigen Mut. Habt Ihr nicht eben aus der Epistel des heutigen Sonntags den Jubelruf der Freude gehört? Seid gegen die Schwestern und alle Erzieher dankbar und willig. Lernet tüchtig, damit Ihr später tüchtiges leistet. Schöpfet Himmelssegens aus dem Born der heiligen Sakramente. Dann werden die Jahre in diesem Heim der Quell Eures Glückes für Zeit und Ewigkeit sein.

Lassen wir hineinklingen die Worte des Völkerapostels in der Epistel des heutigen Sonntages: « *Freuet Euch im Herrn immerdar*. Und nochmals sage ich: Freut Euch. Erweist Euch herzlich und gut allen Menschen; denn der Herr ist nahe. Lasset das Sorgen. Was Ihr wünschet, das traget in all Eurem Beten und Bitten mit *Danksagung* vor Gott. Der *Friede* Gottes, der jeden Begriff übersteigt, bewahre Euer Herz und Euren Sinn in Christus Jesus, unserem Herrn.

(*Schlesische Volkszeitung* Breslau, 18. Dec. 1928). W. D.

* * *

PRAEPOSITI IN MONASTERIO ZWIERZYNIEC IN POLONIA

Juxta Cracoviam super flumen Vistulam existit per plus quam 7 saecula celeberrimum monasterium virginum Norbertinarum in Zwierzyniec (denotat: ménagerie), fundatum anno 1162 a Jaxa, equite de Miechów uti prioratus sub regimine priorissae vel magistrae (usque ad saec. XIII.), postea more polonico abbatissae, qui titulus etiam a S. Sede agnoscitur. Ecclesia conventualis SS. Patribus

Augustino et Joanni Bapt. dedicata est. A plus quam 100 annis est monasterium hoc sub sola jurisdictione principis episcopi, ab a. 1929 archiepiscopi Cracoviensis. Jam a primo accessu meo (1893) ad Zwierzyniec saepe ad sorores nostras propter historiam Ordinis nostri in Polonia scripsi, et illa, quae multa cum diligentia et doctrina mecum varias res communicavit, erat R. M. Michaëla, priorissa monasterii, quae m. decembri 1926 pie obiit. In una ex ultimis epistolis dd. 11. Martii 1926 accepi ab ea seriem praepositorum, qui a saeculo XIII. et ante monasterio praefuerunt.

Ut totam materiam nonnunquam valde obscuram illustrare possem, consului aliquot necrologiis Praemonstratensibus jam impressis, et quidem :

1) *Liber mortuorum monasterii S. Vincentii Vratislaviensis* (Ms. nr. 378 in bibliotheca reipublicae Berolini, ed. a Dre Adalberto Ketrzynski in Mon. Poloniae Hist., t. V, 667-718. Leopoli, 1887.

2) *Liber monasterii Strzelzensis*, Ms. in Strzelno ex a. 1624 vel 1625, ed. ab eodem auctore in dictis Monumentis, t. V, 719-767. Leopoli, 1887.

3) *Necrologium monasterii Zwierzyniec, usque modo*. Ms. ineditum.

4) *Das Totenbuch des Prämonstratenserinnen-Klosters Zuckau bei Danzig*. Ms. in domo pastorali Zukowiensi, ed. a Maximiliano Perlbach in Quellen und Darstellungen zur Geschichte Westpreussens, t. V, Danzig, 1906, XIII-154 p. Quoad nostram materiam autem nihil continet.

Uti fontes alii accedunt Wladislaus Knapinski, Sw. Norbert i jego zakon (Warsawiae, 1884), p. 174-181, et abbas Antonius Joseph Kraszewski, Zycił Swietych (= Vitae Sanctorum) Ord. Praemonstr. (Warsawiae, 1752, t. II, p. 327-334.

I. a) In necrologio Zwierzynecensi ms. occurrunt sub titulo « praepositus hujus loci » : Alexander † 24/8., Bartholomaeus † 21/5, Joannes † 4/1, 21/10 (quibus respondent nomina, ut infra enumerantur, c. 1499, 1508, 1537). Joannes Brzacka † 18/1, Mattheus † 18/10, Petrus † 4/1, † 26/7 (c. 1476 et 1552), Stanislaus † 7/1, 4/8, (c. 1357 et 1504), Silvester † 23/7, Vincentius † 13/9.

b) In Libro Mortuorum Vincentino leguntur : Clemens † 28/8 (occurrit 1288), Mathias † 22/7 bina vice, (quondam praepositus, et praepositus de Zuerincia), Michael † 2/2, Vincentius † 14/1, Ergo summatim 18 praepositi minus noti et puto antiquissimi.

Series chronologica secundum documenta monasterii, in quibus occurrunt :

a) Saec. XIII. Detuinus 1252 vendit praedium Kurdwanow (Cod. dipl. Polon. min., I, 43. Knapinski, 178) ; Theodorus 1263 locat praedium Gartica (Cod. dipl. cathedr. Cracov., I, 88-90. Knapinski, 179) ; Arnoldus 1273 et 1279 (ib., I' 112 et Knapinski 179) ; Henricus 1276 fundet scultetiam in Lubocza ; Clemens 1288 v. s. (Cod. dipl. Polon., III, 153, et Kraszewski, 179) ; Romanus praepositus domus Swerinciensis (prior Martinus, custos Martinus, Fr. Stanislaus, Fr. Bruno sacerdos. Fr. Rudger laicus) vendunt villam Rogoznik (Cod. dipl. Pol. min., I, 143, Knapinski, 179).

b) Saec. XIV. 1322 Nicolaus praepositus permutat Liszki pro Wolowice et 1327 cum priore suo Wilhelmo, Bartholomaeo custode etc. colonizat silvam Chmielowiensem (Cod. dipl. Pol. min., I, 204, Knapinski, 180) ; Stanislaus 1357 fundat scultetiam in Lubocza ; Ulricus 1366 31/7 (cum Stanislao priore, Joanne custode, Clarissa priorissa etc.) tradit villam Domaszow monasterio Mogilensi O. Cis. (Dipl. Mogil., n. 81), 1366 13/5 cedit Cracoviae pascua ad Vistulam pro domo in via S. Floriani (Cod. dipl. oppidi Cracov., I, 43), 1368 renovat privilegium praedii Bibice, 7/10 1374 accipit bullam a Gregorio P. XI, Avinione (Cod. dipl. Polon. min. I, 384-5) ; 1375 agit cum civitate Cracoviensi, 1378 vendit agrum in Koscielów ; Thomas vendit 1378 locum in Polwsie ; Albertus 1383 propter scultetiam in Krzecin ; Stogneus 1385 (Cod. Pol. min., III, 361) ; Sethegius 1398 (an idem ? Cf. Ulanowski, *Antiqui libri*) ; Stogneus agit cum civibus Cracoviensibus, 1421 defendit privilegia in Olszanica (Knapinski, 180, n. 1).

c) Saec. XV. Nanker 1426, 1438, 1441 defendit privilegia. Thomas 1442 propter decimas in Spitary ; Wenceslaus 1450 17/10 nominatus a Zbigniewo Olesnicki, cardinali episcopo Cracoviensi, occurrit adhuc 1490 ; Laurentius nominatus 1498 ; Joannes 1499 praesentat 1501 parochum in Mucharz. Die 18. mai 1494 totum claustrum conflagratum est (Script. rer. Polon., II, 224 ; Knapinski 181).

d) Saec. XVI. *Nota* : Saeculo hoc crebram praepositorum mutationem admiramur, imprimis cum Nicolaus III. de Kamyona, praepositus Zwierzyniecensis a. 1535 abbas Hebdówiensis factus esset. Ubi praepositus abbatissas omni triennio mutabat, uti abbas eodem modo praepositos ; utrum praxis haec tantum in Polonia vigerit, an hoc soli abbati placuerit, ignotum est.

Stanislaus 1504 locat Zabiezrow. Joannes de Chechli † 6. octobris 1508. Andreas 1509 donat hortum regi, 1511 vendit agrum in Lubocza. Martinus 1512 agit cum Cracoviensibus de pascuis. Mathias de Miechów 1518 propter pecuniam, quae fuit in fenore. Andreas 1521 praesentat cum Dorothea Balinska abbatissa parochum in Pobiednik. Nicolaus de Kamyona (vide s.), legislator monasterii, occurrit jam 1527, post horribile incendium 1528 extruxit novum claustrum, ad instar statutorum O. Praem. constitutiones pro monialibus componi fecit, quae in membrana polonice litteris gothicis scriptae ligneum opusculum habent (1540). Ipse Nicolaus 1535 abbas Hebdówiensis factus († 10 mai 1571, Knapinski 160), sub quo abbatia Brzestensia-Hebdówiensis in commendam venit (usque ad a. 1668). Chrysostomus Borowski 1534, † 23/2 1537. Joannes Kosmider de Krzepice 1° 1537. Andreas de Wawrzynice 1° 1540. Joannes Kosmider de Krzepice 2° 1544. Andreas de Wawrzynice 2° 1547. Felix de Brzesko 1550. Petrus de Ujazd 1551 et 1555. Andreas de Szydłowice 1° 1556. Sigismundus Januszowicz 1565. Andreas de Szydłowice 2° 1568. Nicolaus de Wieliczka 1570. Albertus de Kroze 1574 et 1581. Jacobus de Przylek Perzynski 1585 et 1598. Johannes Burzycki 1599-1617. Quo tempore Dorothea Katska abbatissa ecclesiam et claustrum de novo construxit (1596-1608).

Nota : A. 1596 monasterium Zwierzyńskie superioribus Ordinis ademptum et jurisdictioni episcoporum Cracoviensium subjectum est, qui ei commissarios nominarunt, primum Nicolaum Dobrociecki, canonicum Cracoviensem. Ex quo multae lites exortae sunt, quia abbatia Hebdówiensis minime suis iuribus recusare voluit. Ideoque nonnulli praepositi ex abbatia Witówiensi electi et ab episcopis Cracoviensibus confirmati sunt.

e) Saec. XVII. Mathias Zagórski 1617-30. Nicolaus Scieriski, professor Hebdówiensis 1630-61, simul administrator abbatiae ad S. Spiritum Neosandecensis O. Praem., obiit 21. junii 1661 (Necr. Strzeln. p. 26, cujus tempore Dorothea Katska 17/9 1643 aetate paene 100 annorum obiit. Adalbertus Buskowski, prof. Witówiensis, 1661-1663, alias Zoladkowski nominatus, aut ironice aut propterea quod a Witówia intrusus est. Hyacinthus Bryskiewicz, prof. Hebdów., 1663-1689. Sigismundus Bialecki, prof. Hebdów. 1689-1694, † 2. nov. 1694 (Necr. Strzeln. 44). Hermannus Suchodolebski, prof. Witów. 1695-1704, † 17. febr. 1704, vir sanctitate vitae clarus.

f). Saec. XVIII. Bogumil (Theophil) Byszewski, prof. Witów.

1704-1708. Nicolaus Lukowski, prof. Witów. 1708-28. Wojciech (Adalbertus) Zdziarski, prof. Hebdów. 1728. † 8. aug. 1728 (Necr. Strzeln. 32). Ludovicus Wielowiejski, prof. Hebdów. 1728-1733, † 16. mai 1733 (Necr. Strzeln. 22). Constantinus de Rehag, prof. Witów., 1733-62. Waclaw (Wenceslaus) Tworkowski, prof. Hebdów., 1762-95. Melchior Wyzykowski, prof. Witów. 1795-1819.

g) Saec. XIX et XX. Bernardus Lenartowicz, prof. Hebdów. 1819-1834. Norbertus Nicolaus Wolski, prof. Witów. 1834-44, † 15. aug. 1844, ultimus praepositus Polonus ex Ordine. P. Joannes Podgórski, C. SS. R., socius S. Clementis Mariae Hofbauer, 1844-47. Eugenius Carolus Tupy, can. Strahoviensis, celeber poëta pseudonyme Boleslaus Jablonski, 1847-81, † 27. febr. 1881, sepultus Pragae in coemeterio Wyssehradensi 13. Martii (Goovaerts, Ecrivains, II, 258/9). Laurentius Oprzedek (1881-1896), presbyter saecularis dioec. Cracov., antea parochus in Liszki. Romualdus Szwarcz, presbyter saec. ejusdem dioec., par. in Ruszcza, S. Pontificis praelatus et canonicus honor. dioec. Kaliszensis, 1896-1909. Stanislaus Pilchowski ab a. 1910, presb. saec. dioec. Cracov., antea parochus in Niegowic.

Kirchberg a. d. Wild

A. ZAK.

* * *

DE ABBATIA FRANCAVILLIENSIS IN HUNGARIA

Abbatia S. Crucis Francavillae in Marchia, antiquitus Heremus dicta, quaerenda est in comitatu ac olim dioecesi Syrmienti in regno Slavoniae (hodie Iugoslaviae), et quidem inter dexteram Danubii et sinistram Savae ripam, ubi montana Fruskagora seu Vrdnik se extollunt : comitatus ipse Syrmientis penes Danubium se extendit, et usque ad a. 1918 pars regni Hungariae erat.

In volumine nuperrime edito grandissimi operis sui, quod res ecclesiae catholicae in Hungaria respicit, historiam abbatiarum O. S. B. extinctarum refert Pancratiŭs Sörös.

In praefatione auctor affirmat, se nullum descriptorum monasteriorum a filiis O. S. Benedicti extractum vindicasse, nisi argumentis tum externis tum internis ad id impulsus. Nimirum quod tali modo procedendo quaedam monasteria, a scriptoribus rerum gestarum Benedictinis attributa, in hoc volumine locum non invenerunt. Ve-